



DIÖZESE
INNSBRUCK

Digitales Archiv

Errichtungsurkunde des Gebetsapostolats in der Kuratie Haiming

Pfarrarchiv Haiming

11.10.1865

Digitales Archiv

Shelf Mark: 6.7504.A12

CC-BY-NC-ND-Lizenz (4.0)

Creative Commons Namensnennung - Nicht kommerziell - Keine Bearbeitung 4.0 International Lizenz

[urn:nbn:at:at-dai-64279](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:at:at-dai-64279)

DIPLOMA AGGREGATIONIS

Piae Societati sub nomine Apostolatus Orationis

ANICI IN GALLIA CANONICE ERECTAE

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Expositum nuper est Nobis, praeteritis annis, piam utriusque sexus Christi fidelium Societatem, seu Confraternitatem, sub titulo *Apostolatus Orationis* in Diocesi Aniciensi canonice fuisse institutam, cujus Sodales inter plurima pietatis et charitatis opera, quae exercere consueverunt seu intendunt, id praecipuum habent, ut quotidianis precibus pro Ecclesia universa, et praesertim pro Romano Pontifice Deum exorent. Nos similibus Nostris Litteris datis Cajetis sub die XIX augusti anni MDCCCLIX, hujusmodi Societatis Sodalibus nonnullas Indulgentias ad septennium concessimus. Cum dictae concessionis jam desierit tempus, humiles preces iterum Nobis adnotae sunt, ut coelestium munerum thesauros, quorum dispensatores Nos esse voluit Altissimus, de Benignitate Apostolica reservare dignaremur.

Nos quo Societas hujusmodi majora in dies suscipiat incrementa, porrectis Nobis supplicationibus annuendum, ac ut infra indulgendum censuimus:

Quare de omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui dictam Societatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si, vere poenitentes et confessi, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, Plenariam; ac tam descriptis quam pro tempore describendis in dicta Societate Sodalibus vere quoque poenitentibus et confessis, ac S. Communionem reffectis, qui quamlibet Ecclesiam publicam in festivitate Conceptionis B. M. V. et feria sexta post Octavam solemnitatis Sanctissimi Corporis Christi immediate sequenti, a primis vespere; nec non una ex feriis sextis (excepta feria sexta in Parasceve) atque etiam alia die cujuslibet mensis, utraque ejusque Sodalium arbitrio sibi eligenda, ab ortu usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praeterea, dictis Sodalibus, qui, saltem corde contriti, pia opera, quae in singulorum mensium exordio a Moderatore dictae Societatis pro tempore existente praescripta fuerint, rite peregerint, pro quolibet pio opere ut supra designato centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentibus in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas Indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christi fidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse etiam in Domino impertimur.

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae nunitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVI Februarii MDCCCLXI, Pontificatus Nostri anno decimoquinto.

J. CARD. ANTONELLI.

Anicii, die 12 martii 1861.

† AUGUSTUS, Episcopus Aniciensis.

De Mandato, Ill. DD. Ep. ALIBOL, Can., Sec.

Virtute hujus Brevis, Socii Apostolatus Orationis possunt lucrari Indulgentiam Plenariam: 1^o Die eorum ingressus; 2^o diebus festis Sacratissimi Cordis Jesu et Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae; 3^o una ex feriis sextis cujusque mensis, et alia die cujuslibet mensis ad libitum.

Ut has Indulgentias quisque possit lucrari, oportet ut ecclesiam publicam visitet, et preces effundat juxta intentionem Summi Pontificis.

Praeterea, Indulgentia 100 dierum conceditur pro singulis piis operibus a Socii peractis juxta commendationes a Societatis moderatore in pio diario cui titulus: *Nuntius S. Cordis Jesu (Le Messager du Sacré Cœur de Jésus)*, initio cujusque mensis insertas.

Insuper, virtute diplomatis dati die octava aprilis an. 1861, quo pia unio Apostolatus Orationis aggregata fuit Archiconfraternitati Sacri Cordis Jesu Romano institutae in ecclesia Sanctae Mariae de Pace; prioris illius Societatis membra sequentes Indulgentias lucrari possunt:

Indulgentia Plenariae: 1^o Die quo Societati cooptantur; 2^o die festo SS. Cordis Jesu, vel die dominica proxime sequenti; 3^o prima cujusque mensis feria sexta, et alio quolibet die ad libitum (Indulgentia primae feriae sextae mensis adnexa ad primam mensis diem dominicam transferri potest); 4^o in articulo mortis, dummodo corde saltem si ore nequeunt, sanctissimum Nomen Jesu invocent.

N. B. Ad has Indulgentias lucrandas oportet quodlibet, cum dicitur: *Pater, Ave, Credo*; cum aspiratione ejaculatoria: *O cor Jesu dulcissimum, fac se magis ac magis diligere*. Opera autem non est ut preces quae effandi debent juxta Summi Pontificis intentionem, quae simul cum confessione et communi ad Plenariam Indulgentiam lucrandas, requiruntur, fiat in aliqua ecclesia.

5^o Diebus festis Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis, ejusdem Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis; S. Josephi sponsi B. Virginis, SS. Apostolorum Petri et Pauli, S. Joannis Evangelistae, S. Gregorii magi (die 12. martii), hac tamen conditione, ut ecclesiam Associationis quisque visitet; — 6^o sex feriis sextis vel sex diebus dominicis qui praecedunt festo SS. Cordis Jesu, dummodo frequentetur templum, in quo hujusmodi festum celebratur; — 7^o omnibus qui *Cultui perpetuo* nomen dederunt conceditur Indulgentia Plenaria, die quam in schedula receptionis praescriptam habent, dummodo unam horum illius diei impendant in exercitiis religiosis, promissa baptismatis, caeteraque vota renovent, et orent in aliqua publica ecclesia juxta Summi Pontificis intentionem.

Indulgentiae partiales: 1^o Indulgentia sexaginta dierum pro quolibet pio opere, dummodo preces supradictae quotidie recitentur; 2^o Indulgentia septem annorum et septem quadragesimarum, eadem impleta conditione, quatuor diebus dominicis, qui praecedunt festo SS. Cordis Jesu; 3^o Indulgentiae stationibus Romae adnexae diebus festis, vigiliis, et octavis Nativitatis Domini, Paschatis, et Pentecostes, festis item Epiphaniae Domini, Ascensionis, et S. Marci Evangelistae, omnibus diebus Quadragesimae, Rogationum, et Quatuor Temporum, diebus dominicis Adventus, Septagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae, dummodo quisque visitet his diebus ecclesiam, in qua creata fuerit Associatio; 4^o Indulgentia septem annorum et septem quadragesimarum eadem conditione, omnibus diebus festis minoribus B. Virginis Mariae et SS. Apostolorum; 5^o Indulgentia septem annorum et septem quadragesimarum per novendialia, quae praecedunt festum SS. Cordis Jesu, dummodo visitetur ecclesia in qua hujusmodi festum celebratur.

Denique, virtute Brevis pontifici, dati die 21. Januarii an. 1850 omnibus Sociis, qui quolibet mense quartam horae partem impendant in adoratione coram SS. Sacramento, orantes ut majestatem divinam placeant, concedantur sequentes Indulgentiae Plenariae: 1^o die quem sorte praescriptum habuerint, ut hanc adorationem peragerent (notandum est hanc adorationem posse fieri eodem die ac satisfat *cultui perpetuo*); 2^o feria quinta in Coena Domini; 3^o in articulo mortis, dummodo corde saltem si ore non possit, sanctissimum Jesu Nomen invocetur.

Postremo, Socii hujus Apostolatus fructu summo privilegio, quo eos donaverunt Admodum Rev. P. Praepositus Generalis Societatis Jesu, et ejus exemplum secuti Superiores generales Societatis Mariae, ambaram Societatum SS. Cordium (vulgo Pieputianorum), Clericorum regularium Theatinorum, et Sancti Pauli (vulgo Barnabitarum), Congregationes Trappensium tam virorum, tam mulierum, ut nempe participes fiant omnium actionum atque bonorum operum, quae ab eorundem ordinum et Congregationum Sodalibus fiunt.

Aggregata fuit *locutio Hainoy* Apostolatus Orationis, die *undecima* mensis *Octobris* anno *1865*

in Dice. Niverni.

SOCIETATIS MODERATOR GENERALIS.

H. Peanère S. J.

Diplom des Joh. Bapt. ...

statutis.